

2	AAS XVII (1925) 582-583	Can. 33 §1 — can. 106 3° — 403 — 450 §2 — 462 7° — 1291 §2 et 1293 — 542 2°, 900 — 1098, 1102 §2 — 1240 1, 5° — 1203 §2
---	-------------------------	---

# ACTA OFFICIORUM

---

## PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

---

### RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Emi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

#### I. — *De temporis suppeditatione*

D. — An ubique terrarum, in casibus canone 33 § 1 expressis, tempus vulgo *zonarium* sequi quis possit.

R. — Affirmative, dummodo hoc tempus sit legale. ~~non tempus~~

#### II. — *De praecedentia inter Episcopos suffraganeos*

D. — Utrum vi canonis 106, 3º praecedentia inter Episcopos suffraganeos in Concilio provinciali aliisque coetibus provincialibus definienda sit a die praeconationis seu electionis ad episcopatum, an a die promotionis ad Ecclesiam suffraganeam.

R. — Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

#### III. — *De collatione beneficiorum*

D. — Utrum in collatione beneficiorum et canonicatum in ecclesiis collegialibus Capitulum, ad normam canonis 403 audiendum, sit cathedrale an collegiale.

R. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

#### IV. — *De praecedentia vicarii foranei*

D. — An vicarius foraneus, qui sit simul canonicus Capituli collegialis in suo districtu, vi canonis 450 § 2 praecedat ceteris canoniciis in choro et actibus capitularibus.

R. — Negative.

#### V. — *De sacris processionibus*

D. — An, secundum canonem 462, 7º et responsum diei 12 novembris 1922, ius parochi publicam processionem extra ecclesiam ducendi exten-

datur etiam ad processiones Religiosorum, licet exemptorum, extra eorum ecclesias et claustra.

R. — Affirmative, firmo tamen praescripto canonum 1291 § 2 et 1293.

#### VI. — *De admissione Orientalium ad novitiatum*

D. — An in Religionibus latini ritus sine venia, de qua canon 542, 2º, licite admitti possint ad novitiatum Orientales, qui, proprio retento rito, praeparantur ad constituendas domus et provincias religiosas ritus orientalis.

R. — Affirmative.

#### VII. — *De reservatione casuum*

D. — 1º Utrum *quaeviis reservatio*, de qua can. 900, sit tantum ratione peccati an etiam ratione censurae.

2º Utrum canon 900 agat de reservatione casuum ab Ordinariis tantum an etiam a Sancta Sede statuta.

R. — Ad 1º Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.  
Ad 2º Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

#### VIII. — *De forma celebrationis matrimonii*

D. — Utrum, secundum canonem 1098, ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat factum absentiae parochi, an requiratur etiam moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo.

R. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

#### IX. — *De Missa in matrimonii mixtis*

D. — An canone 1102 § 2 in matrimonii mixtis, praeter Missam propriae sponsoris, prohibeatur etiam alia Missa, licet privata.

R. — Affirmative, si haec Missa ex rerum adjunctis haberi possit uti complementum caeremoniae matrimonialis.

#### X. — *De sepultura ecclesiastica*

D. — An, vi canonis 1240 § 1, 5º ecclesiastica sepultura preventur qui mandaverint suum corpus cremationi tradi et in hac voluntate permanescant usque ad mortem, etiamsi crematio ad normam canonis 1203 § 2 non sequatur.

R. — Affirmative.

Datum Romae, die 10 novembris 1925.

P. CARD. GASPARRI, Praeses.

Ioseph Bruno, Secretarius.